Werbrouck


ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO
WERBROUCK
EX
ANTISTITE RURÆMUNDENSIUM
XIV. ANTVERPIENSIUM
EPISCOPO
IN SOLEMNI AD CATHEDRAM SUAM
ADVENTU
Gratulatur & Applaudit cum ſuo Gymnaſio
Societas Jeſu.

ANTVERPIÆ M. D. C. C. XLVI.



ANTVERPIÆ, Apud Viduam JACOBI BERNARDI JOURET.

(Verbrouck) Illustrissimo



P. B. Bouttats sculpsit.

ILLUSTRISSIME
AC
REVERENDISSIME
DOMINE.



Atales Urbi, Diœcesique ANTVERPIENSI *annos fuisse oportet, quibus brevissimo sanè intervallo amisimus duos Virtute, Morumque sanctitate venerabiles, suâque electione dignissimos ANTISTITES* CAROLUM *atque* GUILIELMUM PHILIPPUM, *quorum memoriam grato semper animo sera prosequetur Posteritas. Inconsolabilis videbatur dolor noster, nisi* REGINA *nostra Augustissima, cui res Fidei & Ecclesiæ non minùs cordi sunt & curæ, quàm sui status Imperii, incredibili benevolentiâ, quâ subditos complectitur universos, solata publicum luctum ex magnorum PRÆSULUM decessu mœrentes omnium animos erexisset, absens absentes verbis materno verè ex animo profectis allocuta,* Ite ad JOSEPH. *Ivimus, & quam spem animo conceperamus, fore, ut mœrentium ac quasi sine PRÆSULE Ovium vota benignus exciperes, minimè falsam fuisse læti accepimus, dum Te quanto cum* RURÆMUNDENSIUM *dolore, à quibus verus* PASTOR *avelleris, tanto nostrûm omnium gaudio Sanctissimus Dominus noster* BENEDICTUS *loci & populi utilitate,*

atque

atque necessitate, ut veriùs dicam, cogente, electum nobis confirmavit.

Et quidni lætemur? Virum etenim nacti sumus omnibus naturæ, gratiæque donis ornatissimum, in quo Clerus exemplum officii sacerdotalis, Cives fautorem rerum civicarum, divites exemplar munificentiæ in pauperes, pauperes Patrem verè misericordem, miseri Patronum SUAVEM, *Oppressi Defensorem* FORTEM; FORTITER *enim &* SUAVITER *tuis, ut præfuisti alibi, & hîc præfuturum tua te gentilitia sat probant Scuta; omnes denique habemus, quod & veneremur & amemus, dum soli improbi, eorumque mores ante conspectum tuum erubescunt. Accedit modestia illa prorsus singularis, quâ benefacere contentus, amas nesciri tua beneficia: & tamen hæc ipsa rapit externos, rapit inquilinos, rapit etiam illos, quibus ipse es ignotus. Utinam in partem benevolentiæ tuæ, quâ adeò mirificè in omnium animos influis, quamque Tibi innatam ubique exseris, Nos quoque trahere non dedigneris: illam quidem hac rudiore musâ conamur aucupari; sed minùs litterati sumus, ut Viro litteratissimo, cujus acerrimam ingenii judiciique vim nihil fallit, nihil subterfugit, placeat hic noster conatus, qui inter communes gratulantium applausus accedit demissior.*

Erit igitur Humanitatis tuæ hoc qualecumque observantiæ erga Te nostræ monumentum benevolè accipere, & qui tam facilem omnibus ad Te accessum præbes, unis nostris musis aditum minimè præcludere. Faxit interim Deus, ut sub Te consummatissimo in virtute & scientia ANTISTITE *Juventus nostra non minùs piè, quàm sapienter accrescat, & in fæcundam segetem tua sub*

umbra

umbra latitans aſſurgat. Idem D. O. M. Annos meritis tuis æquet, Teque ad Eccleſiæ ſuæ ſplendorem, Patriæ decus & ornamentum, proborumque omnium gaudium quàm diutiſſimè incolumem ſervet.

I T A

C U M

STUDIOSA SUA

J U V E N T U T E

SOCIETAS JESU


ANTVERPIÆ.

ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO
WERBROUCK
XIV. ANTVERPIENSIUM EPISCOPO
Suo urbem adventu recreanti.



PRÆSUL adeſt, ſolare tuos, ANTVERPIA, Luctus,
Quem tibi ROMANA miſit BENEDICTUS ab arce;
PRÆSUL adeſt, in quo CAROLI Paſtoris avitam
Virtutem invenias, mentemque animumque PHILIPPI.

ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO WERBROUCK
Ex Ruræmundensi Antistite
XIV. ANTVERPIENSIUM EPISCOPO.



En tibi, læta brevi quo fulsi tempore, PRÆSUL,
Squalida RURA mihi, quo discedente, relinquor:
Dent Tibi, dent *Superi* fatis melioribus uti,
Ut Te *Nestoreos*, ANVERSA, gubernet in annos!

CARMEN
PANEGYRICUM
ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO
WERBROUCK
XIV. ANTVERPIENSIUM
EPISCOPO
IN
SOLEMNI AD CATHEDRAM SUAM ADVENTU.



Uid lætas inter voces, ac plena tuorum
Gaudia, depoſito primævæ frontis honore,
Et mœſto ſparſis collo ſine lege capillis,
Uſque adeò turpi ſquales, *Antverpia*, luctu?
Exactis quòd nondum annis fortaſſe duobus,
Inſignes virtute duos, & ſtemmate claros
Pontifices, *Pyliam* dignos æquare ſenectam,
Guilielmum & *Carolum* triſti mors improba falce

Meſ-

Messuit, & nostræ bona longè maxima in illis
Eripuit Patriæ, menteſque animoſque benignos,
Sollicitumque gregis ſtudium, curamque fidelem,
Multiplicemque ſtipem, & tenuis ſolatia plebis?
Auguror (obſcurâ niſi ludar imagine rerum)
Hic eſt tantorum tibi fons & cauſa dolorum.
Sed curas depone graves, ſuſpiria ſiſte,
Votaque cum lacrymis; fuſi quando undique cives
Lætitiæ dant ſigna novæ, reboantque triumphi
Argumentum ingens, excelſas æra per arces,
Mœniaque & turres, & feſtis emicat æther
Ignibus, & lætæ reſonant totâ urbe Camœnæ.
Ecce novus tandem, viduo pergratus ovili,
Quem longis REGINA potens evicta querelis
Sidonio fulgentem oſtro, Mitrâque Pedoque
Conſpicuum RURÆ voluit tibi mittere ab oris,
PRÆSUL adeſt, placidæque affert nova gaudia pacis.
Hinc tanto effuſos ſtudio, tanto agmine cives
Per fora, perque vias ferri totamque per urbem,
Plaudentes manibus circùm, lætumque canentes
Conſpicis, inſueto hinc audis fremere omnia plauſu.
Ipſe Pater *Scaldis* fundo teſtatus ab imo
Lætitiam, triſtes vocat in ſolamina *Nymphas*.
Ite, ait, ite alacres, cumulate altaria donis,
Cæruleæ comites, viridique ſedilia muſco
Inſtruite, & vitreis ſuſpendite ſerta columnis.

JOSEPHI adventum læto celebrare cothurno
Nos decet; & noſtræ depromere gaudia mentis.
At cùm feſtivis jam vocibus omnia fervent
Undique, & ardenti ſtudio præconia laudum
In tua ſe cuncti, *Præſul digniſſime*, fundunt;
Haud certè nobis fas eſt abſiſtere cantu
Ampliùs, indecorique palàm indulgêre quieti.
Ergo age, quas vati vires natura recuſat,
Suffice, *Phœbe* Pater, doctaſque è monte Sorores
Arida *Caſtalii* præcordia tingere fontis
Rore jube, ſacrumque animo inſpirare vigorem.
Tuque adeò trepidæ ſub iniquo pondere menti
Affer opem, gnarumque tui, Deus, ingere pectus.
Non ego tanta meis expromere vocibus auſim
Te ſine; Tu facilem, monſtrato tramite, curſum
Expedies, feſſumque gravi tu faſce levabis.
Te labor iſte manet, ſi quem manet. Aſpice, quantum
Muſa Virum, quanti præconia pectoris, ardet
Carminibus celebrare ſuis. Non inclyta dignis
Munia deſcribenda modis, non maxima deſunt
Illius Ingenii monumenta, nec alta Tiaræ
Ornamenta, ſacro nec quas in pectore geſtat
Virtutes, Proavûm conſtans exempla ſecutus.
Quid vates primum inceptem? Me copia rerum
In diverſa trahit. Felicior ilicet aura
Ecce venit *Parnaſſo*, & *Phœbus* verſibus aptam

In-

Inſpirat mentem, ut pulchros in monte labores
Aonio, quæque ex illis decora orta recludam.
Tu placido, JOSEPHE, meos, quo cætera, vultu
Reſpice conatus, nec amorem ex carmine cenſe.
Flandriacas inter famâ celeberrima *Nymphas*
Urbs ingens (veteres IPRAM dixêre coloni.)
Viſitur, immenſum primo quæ prima labori
Explicuit campum, primæ cùm flore juventæ
Ferveſcentem animis, & ad ardua quæque volantem
Inſtituit juvenem, & Latiæ primordia linguæ
Inſpirans, ſenſim ſtudia ad majora paravit.
Prô quantis animis, quantâque cupidine laudis
Illuſtri inſiſtis ſtadio! quàm nobilis ardor
Te, JOSEPHE, urget primas auferre triumphi
Palladis in campo palmas, & tempora lauru
Cingere, difficiliſque decus decerpere pugnæ!
Nil blandis opus eſt verbis accendere in altum
Enitentem ultrò *Pindum*: omnes ocior euro
Antevolas, turbamque procul miraris anhelam
Terga ſequi, victaſque tibi ſubmittere dextras.
Pegaſeis bene tinctum undis, tellure relictâ
Natali, juvenem magnorum clara *Duacum*
Ingeniorum altrix, ſedeſque auguſta *Minervæ*
Fœcundo excepit gremio, ſtrinxitque lacertis.
Socraticam hîc inter turbam præcellere prompto,
Subtili, ſolido, facilique, omniſque capaci

Humanioribus Litteris Studuit Ipris apud RR. PP. Societatis Jeſu.

Duaci Philoſophiæ operam dedit,

Do-

Doctrinæ ingenio es visus: studia ardua quamvis
Sint aliis *Logicæ*; nihil impenetrabile, opertum,
Ignotumve tibi: sed sicut *Cynthius* omnes
Perlustrat radiis terras, sic cuncta sagacis
Ingenii penetras radiis; orbemque perosus
Terrestrem, actutum nobis impervia visu
Scrutaris convexa poli; quid fulmina & imbres
Procreet, humanas motura tonitrua mentes,
Quæ cieat virtus, quantâ vertigine cæli,
Et stellæ errantes, bissenaque signa ferantur,
Explorare juvat, parilique exquirere nisu
Defectus solis varios, lunæque labores,
Et sua cur mutet moderatrix *Cynthia* noctis
Cornua, & auricomi velox vestigia fratris
Ponè premat, nunc ipsa prior contendat in ortum,
Nunc societ, dirimatque faces, medioque recedat
Æthere; quæque latent alios, manifesta patescunt
Illa tibi: natura sinus, secretaque pandit.
Nec satis è sophiæ Victorem exîsse palæstra:
Illa animo sunt parva nimis, magis ardua poscis
Prælia, majoresque ardes reperire labores.
Ipsum adeò immensis pectus progressibus aptum
Erigitur; mora nulla, tibi vel parva videtur
Aversanda quies: cursu indefessus anhelo,
Implicitos quæ te sophiæ dissolvere nodos
Edocuit, celebrem rursus contendis ad urbem.

Hic

Hîc modò divinæ sacrata volumina legis, *Uti & Theologiæ.*
Quæ vel *Apostolico* quondam sunt tradita seclo,
Assiduo volvis studio; modò deinde secutis
Temporibus prisci sacris conventibus olim
Quæ sanxêre Patres, & quæ decreta nocentûm
In stygias errorum acies, quæ fronte rebelli
Romanum excussêre jugum, populumque sequacem
Deludunt veri specie, falluntque veneno,
Perdiscis, fidâque tenes hæc omnia mente.
Quid, quod & abstrusos Fidei penetrare recessus
Te juvat, & penitùs rimari mente sagaci
Sacra revelatæ *Triados*, mysteria, magno
Humanumque Deo unitum genus, altaque nullo
Semine Virginei partûs miracula, quîque
Sacrificâ panis Caro *Christi* fiat in ara,
Atque merum Sanguis: sed nec perquirere tædet,
Quâ ratione homini septem signacula prosint,
Efficiantque Deo gratum, aut illius amorem
Confirment, *Christi*que potens quî gratia mentes
Excitet, & læsâ nil libertate, rebelles
Mortales animos, ac corda rigentia flectat.
Nec tibi doctrinæ satis est penetralia sacræ
Lustrâsse; at gemini quoque vasta volumina juris
Nocturnâ versare manu, versare diurnâ
Cerneris, & tanto assiduè invigilare labori.
At nihil est didicisse: palàm sed cuncta tuêri,

Et

Et conferre manus, pugnamque laceſſere verbis
Niteris oppoſitos contra imperterritus hoſtes.
Ergo theſes geminas gemino tutaris honore.
Conveniunt Doctorum acies, & noſcere pugnæ
Eventus ardent: medius ſtans ore ſereno
Ipſe tui ſecurus, & in certamina fervens
Civiles juxtà leges, Sacraſque tueris
Impavidus; nec tu, licèt atria vaſta ſuſurrent
Certantûm ſtrepitu, & confuſo murmure vocum,
Intrepidus cedis; verùm ridere frequentem
Juris utriuſque Laureâ inſignitus eſt. Turbam oppugnantûm, vibrataque tela videris
Vertere in urgentes, proprioque occidere ferro.
Ad tantam virtutem animi ſtupuêre magiſtri,
Atque triumphali reboantia pulpita plauſu
Victorem cecinêre ſuum, dignumque putârunt,
Qui duplicem referat pugna pro duplice Laurum.

Oblatis Deo primitiis, Intereà jam tempus erat divina ſacrare
Primùm ritè Deo Cœleſtis pabula menſæ,
Pabula, quæ placant iratum ob crimina cœlum,
Mortaleſque Deumque inter, ne fulmina vibret,
Humana medium ſtatuunt pro plebe miniſtrum.
Hîc ſuperi plausêre tibi, tibi plauſit olympi
Aligerûm pennata cohors his vocibus uſa;
I felix, *Joſephe*, Sacriſque operatus ad aras
Divinum hoc munus dignis virtutibus imple,
Et, quoties dabitur placando offerre Parenti

Æter-

Æterno ſine labe Agnum, ſemperque placentem
Æquævam Sobolem, populique gregiſque futuri
Ex animo numquam pellant oblivia curam.
At Tu, ſublimi quamvis decoratus honore,
Non minùs intenſo ſtudiorum ardore labores
Continuas, tandemque datur contingere metam.
Famaque jam patrias latè volitare per urbes,
Et rerum vulgare magis decora alta tuarum,
Flandriacis quandò *Morinûm* decus *Ipra* ſtupendum
Urbibus, inſignem votis optavit anhelis
Aſpectare oculis pugilem, & ſatiare videndo
Ardorem, ac manifeſta animi dare ſigna benigni.
Quod ſimul ut potuit, ſpondens majora, ſuorum
Illuſtri, ſumma ſibi quos delegit in æde
Conſpicuos virtute, viros, pietate verendos
Adſcripſit numero: juvat hîc, *Joſephe*, morari,
Hîc ubi ſe dignum virtus tua nacta theatrum
Immenſa explicuit decorum ornamenta tuorum;
Creſcenteſque novis cumulavit honoribus annos.
Hîc primùm celebri, divus quem concitat ardor
Ire ſacerdoti comitem ad tecta ægra ferenti
Velatum nivea *Cereris* ſub imagine numen,
Dignaris cœtu: nullum tibi munere in illo
Æqualem, nulli te conſpexêre ſecundum.
Namque operi tam ſancto inſtent ut fortiùs omnes,
Ipſe ſacrâ inſtructus tædâ, quò diva feruntur

Ipris Canonicus Graduatus creatus eſt.

Præfectus fuit confraternitati Venerabilis.

C Mu-

Munera, tendis iter, non ſævos vertice nimbos,
Non piceis horrens ſpirantes nubibus auſtros,
Nec rapidos, ardens affert quos *Sirius* æſtus,
Brachiave intenſi nimiùm ferventia *Cancri.*

Obiit munus Cantoris in Ecclesia Cathedrali divi Martini Ipris.

Hiſce inflammatus ſtudiis, & numine plenus
Jam ſacrâ nactus *Cantoris* munia in æde,
Egregiis adeò munus virtutibus auges,
Præ reliquis ut ſis primus, poſtremus & idem,
Jeſſei quoties cantantur carmina Vatis.
Nec ſatis: ut ſurgit, ſi flammæ alimenta miniſtres,
Ignis in æthereas alis pernicibus auras,
Sic tuus ille ſacer, ſacro quem pectore nutris;
Neſcius includi ſpatiis, magis emicat æſtus.

Obiit munus Scholastici ibid

Scilicet immenſo ſi ſint tranquilla labori
Otia, in indoctum transfers diſcrimine nullo
Ritè informandum divinis legibus agmen.
Vos teſtes tenerorum animi, quibus ille tot annis
Sedulus inſpirans cœleſtia dogmata pandit,
Muneribus, blandoque trahens ſermone tepentes,
Et meritis refragos pœnis ad debita cogens
Munia *Christiadûm*: quoties magnoque labore,
Aſſiduoque rudes conatu inſtruxit amore
Numinis, erudiitque ſacris pia pectora rebus?
Hinc *Christo* ſimilis, cujus fuit una voluptas
Verſari pueros inter, ſacroque tenellos
Dignari alloquio, totâ *Morinûm* audiit urbe.

Uſ-

Usque adeò formare rudes jucundus olympo
Est labor, æternum ut pariat per secula nomen!
Nunc ô *Pierides*, laus maxima Præsulis ardor
Augendæ fidei, teneros & cura docendi
Cum nostras tulerit laudes, majora referte.
Nec vobis labor iste gravis: fœcundior ecce
Panditur hìc laudum campus, divina patescunt
Atria, quæ *Pariis* referunt monumenta tabellis
Majoris Zeli, graviori extollere cantu
Quem mea *Musa* parat. blandis, en aspice, verbis
Ut sibi conciliet mentes: sint aspera quamvis
Pectora multorum, miro moderamine flectit
In quascumque cupit partes, vulgique procacis
Indocilem turbam donis *Pater* omnibus idem
Munificus recreat, miseræque incommoda sortis
Forti animo perferre docet, durosque labores
Vincere, & insignem meritis sperare coronam.
Est & summa illi neglecta mapalia (virtus
Namque humiles amat alta casas) lustrare cupido,
Atque inopum solari animos, miserosque levare.
Et veluti auxilium *Joseph*, quando ægra negabat
Dona *Ceres*, sensit *Chanaan*, rabidâque *Canopus*
Pressa fame, sensêre *Arabes*, populique bibentes
Jordanem, sensêre & odoriferi *Nabathæi*;
Haud aliter *Patris*, cui non sine numine divûm
Obtigit accrescens *Josephi* & amabile nomen,

Illust. benignitas, comitas, Largitas in pauperes.

Alluditur ad nomen Illust.

 Ex-

Experiuntur opem, triſtis quos urget egeſtas.
Non variis tantùm patrias, quas poſſidet heres;
Pauperibus diſpertit opes; ſed & exſtruit ædes.
Hinc benè communis, *Joſeph*, atque omnibus unus,
Dum ſtabit, quàcumque ſuis urbs *Ipra* peraltis
Murorum vallis, liquidiſque rigabitur undis,
Dicêris Patriæ *Pater*, oppreſſûmque Patronus.
Non tamen hæc fuerit creſcentis maxima honoris,
Non laudum pars ſumma Viri, decorumve corona.
Pro tantis illi ſurget mox gloria rebus
Amplior, æternum certè manſura per ævum.
Dum loquor, en cineres extincti atque oſſa ſepulchro
Nomen Illuſt. defuncti. FRANCISCI abdiderat, tumulumque ſacraverat umbræ
RURA dolens, meritoſque aris libârat honores,
Inferiaſque ſuo plebs deſolata Parenti
Solverat; hinc precibus cœlum votiſque fatigat
Multa Deum obteſtans, mœſto ut ſuccurrere Ovili
Annuat, atque orbos dignetur PRÆSULE cives.
Nil juvêre preces miſeros, dudumque relictas
Nullus oves Succeſſor agit, ſententia tantæ
Molis adhuc primo reſtans in limine pendet;
Nec certum eſt, cui ſacra parent moderamina Divi:
Cùm ſubitò levibus multùm pernicior auris
Impatiens *Morinûm* ſeſe concludere in urbe
Ingens fama Viri *Auſtriacas* penetravit ad oras.
Nulla mora eſt: REGINA, ſui quæ gloria ſecli,

*Austriacæ*que Domûs columen stirpisque paternæ;
JOSEPHI reputans animum, linguæque disertæ
Eloquium, sensus acres, Virtutis odorem,
Inclyta quo latè perfudit *Iprensia* dudum
Mœnia, deserto RURÆ designat ovili.
Quæ simul ut *Latiam* tulit expectatus in Urbem
Nuncius, æterni claves cui numen Olympi
Credidit, atque sibi dedit his succedere terris,
Purpureum cogit Cœtum; quo ritè coacto,
Reginæ exponit *Patribus* vota: ociùs omnes
Vota probant, partoque illi lætantur honore.
Ergo pedum, mitramque Viro, Pastoria defert
Signa, *Sicambrorum* & tradit *Benedictus* ovile.
Quis mihi *Mæonii* sacrum nunc pectoris œstrum
Excitet? ô me per tenues si *Pegasus* auras
Tollat humo, pennisque ferat, fontemque recludat
Castalium, ut curam possim, studiumque regendi
Commissi gregis, & magnos conamine magno
Pro Cœlo ac Patria exhaustos memorare labores.


Designatur Episcopus.

Vix bene *Geldriacæ* subiit sublimia Sponsæ
Mœnia, cùm varios cœpit firmare labantes,
Errantesque greges ad sacram adducere caulam,
Gliscentes sensim vitiorum & tergere sordes,
Et leges, si fortè jacent, renovare priores,
Inspirando animis primum virtutis amorem.
Nec satis: impositi Pastorem major ovilis

Urget amor. Quæcumque videt ſibi ſubdita circùm
Oppida, & agreſtes ſua jura repoſcere pagos,
Hùc properat, cunctiſque palàm exoptata tueri
Ora datur; non ſic *Phœbus* ferventior æſtu,
Difficileſve viæ anfractus, aut frigora brumæ
Ardorem tardant; quocumque vel impigra amati
Cura gregis mentem raptat, longo omnia luſtrat
Circuitu, qualis ſublimis ab æthere ſummo
Aſſiduo curſu Sol circumvolvitur orbem.
Nec fruſtrà: ignavas tanti præſentia mentes
PRÆSULIS inflammat, monitiſque potentibus acti
Sacra ſacerdotes ſtudio majore capeſſunt.
Quid cunctas memorem nullo diſcrimine gentes,
Immenſa in tantum pietate flagrâſſe Parentem?
Non ſoli candore animi & dulcedine capti
Geldrenſes viſi JOSEPHUM adamare: vel ipſi
Ductores *Batavi* rarâ Patris indole moti
Impenſis etiam ſtudiis coluêre, ſuique
Magna dedêre illi monumenta ac pignora amoris.
Plura recenſere, & reliquas longo ordine dotes
Dicere prætereo, tibi, quando, *Anverſa*, tueri
PRÆSULIS ora tui, & ſacros cognoſcere vultus
Jam datur: optatis fruere, & venerare parentem,
Qui tua ſolemni ſcandit modò mœnia pompâ
Spe major, famâ melior, Complectere Dextram,
Quæ tibi ſemper erit certæ indubitata ſalutis

An-

Anchora, depositumque tibi læta excipe pignus.
Hic vir, hic est, cæco qui condet FORTITER orco *Alluditur ad Lemma.*
Tartareas pestes, & lucifugas harpyjas,
Et quidquid prodit dirarum ab sede sororum
Exitii, sacro FORTIS qui pellet ovili.
Sed pepulisse parùm est: teneros, quos credidit æther,
SUAVITER ille agnos, ut SUAVIS pastor, habebit.
Sic fore, sic spondent, per quos se digna reportat
Præmia, Cœlicolæ, & vigiles, quas *Geldria* dudum
Obstupuit, spondent curæ, quosque *Ipra*, labores.
At nunc meta eadem numeris & honoribus esto.
Et licet eximii plectro dignanda *Maronis*
Sint minùs excultis rerum decora alta tuarum
Decantata modis, nostras ne respue *Musas*.
Antè tamen posito vates quàm fine quiescam,
Unum oro, longæ superi dent tempora vitæ,
Dent tibi canitiem sacram, dum te tua virtus
Nestore majorem, meritis spectabilem & annis
Cœlesti divos inter statione reponat.



ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO
Deum colentes Protegenti
FORTITER



Ille operum Custos. Virg. IV. Æn.

Ille operum Custos Serpentes FORTITER arcet,
Ne tristi *Catulos* fraude perire sinat.
Hic *Ovium Custos* (stygii procul ite Dracones)
Tartareâ nullas fraude perire sinet.

ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO
Suos ad Dei Cultum allicienti
S U A V I T E R.



Animum dulcedine movit. Virg. L. XI. Æn.

SUAVITER ecce *Leo* gestu nutuque *Catellum*
Allicit, allectum lacte *Leæna* fovet.
Alliciet JOSEPHUS *Oves* ad Pabula CHRISTI
Ut *Pater*, allectas *Matris* adinstar alet.

D

ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO
Errantes increpanti
FORTITER.



Sumpsisse merentis
Laudabor pœnas. Virg. L. II. Æn.

Discordes, patrio licet amplectatur amore,
In *Catulos sævit* FORTITER ungue *Leo.*
Non hac *Corripiens* abludit imagine PRÆSUL:
FORTITER ungue *Leo*, FORTITER *ille* Pedo.

ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO
Afflictos consolanti
SUAVITER.



Lenire dolentem
Solando cupit. Virg. L. IV. Æn.

Ater ab inflicto dum manat *Vulnere* sanguis,
Autor qui fuerat *Vulneris*, ipse levat.
Haud aliter, PRÆSUL, si quæ sint *Vulnera*, *sanas*
SUAVITER, à lapsu si resipiscat *Ovis*.

ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO

Pro grege paſcendo Labores ferenti

FORTITER.



Nec mortem horremus. Virg. L. X. Æn.

Saxa per & vepres, pluvioſque è nubibus ignes
Intrepidus Catulis fert alimenta *Leo*:
Nec te, PRÆSUL, *Oves* paſcentem dira movebunt
Fulmina, nec quidquid ſævius orcus habet.

ILLUSTRISSIMO
A C
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO
Suorum Deo ſervientium
labores ſublevanti
S U A V I T E R.



Currum ſubière Leones. Virg. III. Æn.

SUAVITER ecce jugum FORTES ſubière *Leones*,
Sarcina ne Domino ſit garvis, ulla ſuo.
Tu, ne ſuccumbat, nimiove labore fatiſcat,
SUAVITER aſſumes pro *Grege* FORTIS onus.

O D E
A D
CIVITATEM ANTVERPIENSEM
I N
A D V E N T U
ILLUSTRISSIMI
A C
REVERENDISSIMI DOMINI
D. JOSEPHI ANSELMI
WERBROUCK
XIV. ANTVERPIENSIUM
EPISCOPI.



OErore pulſo, parce volubilem
Lugere mœſti temporis orbitam,
Dudumque protractos labores,
Nec veteres renova querelas;
Quando tuorum vota Clientium
Proſpexit alto Numen ab æthere,
Luctumque ſolvens expetita
Sorte dedit meliore fata.

Lux illa tandem fulſit amabilis ;
Lux incolarum meta doloribus ;
Cedant ſepulcrales cupreſſi ,
Stent oleæ , virideſque lauri.
Lux illa fulſit, quâ toties gregi
Deſideratus Paſtor adeſt novus ,
Auguſta Regnatrix MARIA
THRESIA cui meritos honores
Antverpianæ contulit infulæ ,
Probante *Roma.* Mœnibus en tuis
Inter ſonantes ære turres ,
Fulmineoſque venit fragores.
Applaudit æther conſcius & favet ;
Phœbus quadrigis vectus eburneis
Orbem ſerenat , recreatque ,
Et facibus rubet aura feſtis.
Fugêre nubes. Lenè fluentibus
Vides ut undis *Scaldis* eat Pater ?
Caput virenti cinctus algâ ,
Lætitiâ fremit inſolenti.
Ridente cælo *Naïades* prope
Per læta ludunt flumina , nec ſuis
Deſunt choreis & Camænis
Scaldivagæ , Patriæque *Nymphæ*
Congratulantes. Tantus amor tui eſt ,
JOSEPHE , vultûs ! perge faventibus
Intrare divis , PRÆSUL , urbem ;
Gratia cum gemina Sorore
Candor pudicus , Spes , Amor , & Fides ,
Virtuſque prudens , aurea Fauſtitas
Vindex novatoris QUENELLI
Relligio , & Pietas ſequuntur.

Hinc

Hinc universo cum populo Sacer
Gaudet Senatus, Clerus, & Ordines
Deo perennè dedicati
Relligione tenaciori.
Thuris *Sabæi* fumat odoribus
Ara, & litando pulchrior hostiis
Invitat, ut solvant Tonanti
Et duplicent sua vota cives.
Urbs chara Divis, gloria *Belgii*
Decusque nostri, præscia si modò
Præsaga vatum mens futuri est
Fatidicis agitata *Musis*
Huc verte mentem, scutaque PRÆSULIS
Quantam ominari te faciant, vide,
Felicitatem. O quanta spondet
Tessera, quam decorant Leones!
His ille fortis tristia crimina,
Et evagantis jura Licentiæ
Diffringet, infernoque victor
Bella geret metuenda regno.
His ille fortis destruet hæreses
Prodi dolentes, dissimulantium
Technas virorum: virulentis
Mille licet veniant sagittis,
Hæc ille fortis spicula conteret,
Arcusque frangens exitio dabit
Quodcumque sub terris nefando
Styx genuit scelerata partu.
Sectæ nefandæ perfida bellua
Quinis ab orco cornibus exerat
Ferale collum, ultraque centum
Terribilis capita alta jactet;

5. *Propositiones Jansenii* & 101. *Quenelli*

Hoc

Hoc *Ille* monſtrum fortior *Hercule*,
Qui vicit olim *lerniferam* face
Hydram, & *Cleoneum leonem*,
Sternet humi manifeſtus ultor.
Anverſa perſta firma *Leonibus*,
Nihil timendum eſt, irruat igneos
Complexa Serpentes *Megæra*,
Et piceas vibret atra tædas.
Ut magna ſint hæc, augurio tamen
Majora reſtant, quæ Patriæ bona
PRÆSUL daturus: hæc colores
Et niveus rubeuſque pandunt.
Proh! quanta labis neſcia Caſtitas
Intaminatis ſplendida honoribus
Par pene divis, & vel ipſi
Invidiam paritura Olympo
Ex ore lucet! pectora Numinis
Spirant honorem; zelus & intimas
Urit medullas, quo ſuorum
Sollicitus vigilanſque Paſtor
Ardet ſalutem: rebus in omnibus
Privata quævis commoda negligit,
Duroſque ſemper mente FORTI
Impiger aggreditur labores. *Alluſio ad epigraphen Illuſtriſſimi*, FORTITER & SUAVITER
Non *Capricorni* frigora Sideris,
Non Solis ardor, non iter invium,
Non umbra, nocturnuſque terror,
Non ſterilis ſitienſque ſylva
Tardant euntem, quà Sacer impetus
Urget tenacem propoſiti virum;
Non ipſa percellunt feroci
Antra ſono, & rabie ferarum

Timenda. Quid quod ſingula perſpicax
Per ſe ipſe luſtret? Quid quod & omnium
Laborioſas res ſuorum
Unus agat, dirimatque ſolus?
Hæc FORTITUDO; cætera SUAVITAS
Sibi repoſcit, pars quoque debitæ
Dicenda laudis, gloriæque,
Qua populo patriæque fulget.
O quam sereno ſemper amabilis,
Lætoque vultu SUAVITER omnibus
Placere gaudet, & novorum
Grande ſupercilium *Catonum*,
Moreſque ſolers deſpicit aſperos;
Aut hos benigna mente potens trahit,
Sui vel invitis amorem
Eliciens, ſtudiumque recti!
Hâc enitentem *Geldria* PRÆSULEM
Virtute vidit, ſeque caloribus
Ardere Sacris læta ſenſit,
Quos animo peperit benigno,
Ubique cœlo ſemina ſuſcitans,
Qualis coruſcus Sol habitabiles
Tranſcendit oras, & feraces
Reddit agros, gravidatque fœtu.
Anverſa felix! nam pariter Tuis
Talem, ut *Sicambris*, vaticinor fore,
Alluſio ad nomen JOSEPH
Talemque, ut *Ægypto*, JOSEPHUM
Temporibus tibi luctuoſis.
Felicitatem, dum cerealia
Fœcundiori munera tempore
Per tota *Memphis* regna JOSEPH
In ſteriles cumulavit annos,

Vin-


Vinces *Canopi*: PRÆSIDE ſub tuo
Cantata priſcis aurea ſeculis
Ætas reſurget, & benigno
Terra feret bona quæque partu.
Alter JOSEPHUS judicio reget,
Alter JOSEPHUS conſiliis aget,
Quod ſpectat ad recti tenorem,
Et placidâ ratione flectet.
Virtus & addet vim ſapientiæ
Æquâ coërcens lege potentiam
Livoris, inſultûs iniqui,
Fraudis, avaritiæque vindex.
Hæc & Sacrarum FORTITER Ædium,
Ritûſque aviti jura tuebitur
Adverſus Orcum, nec reſiſtet
Tergeminâ ſibi fauce Cuſtos.
Hæc augurari me jubet alterum
Inſigne nomen PRÆSULIS: ut ſuis
ANSELMUS olim, ſic & ille
Præſidium, columenque ſtabit.
Ergò PHILLIPPI funeris immemor,
Anverſa, veſtes exue lugubres,
Comptiſque ad ornatùm capillis,
Et Patriis comitata *Nymphis*
Vultu ſereno ſuſcipe PRÆSULEM
Inter tuorum publica gaudia,
Interque gratantum catervas
Suppliciter venerare dextram:
Jô JOSEPHUS, cum populo cane,
Jô triumphet PRÆSUL amabilis!
Dum plenus & laudum & dierum
Ad Superos abeat Penates.

Alluſio ad nomen ANSELMI.

Nomen illuſtriſſimi nuper defuncti

IL.

ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO
In cuſtodiendo Grege vigilantiſſimo.



Excubat, exercetque vices. Virg. Æn. IX.

Quis malus accedat propiùs, tentetve nocere,
Dum vigil hic Cuſtos *Excubat* ante fores?
Audeat *Hæreſeos* ſtygium quis ſpargere virus?
Toxica nulla Gregi, Te *Vigilante*, nocent.

ILLUSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO DOMINO
D. JOSEPHO ANSELMO
Virtutibus omnibus ornatiſſimo:



P.B. Bouttats. ſculp.

O! Digno conjuncta Viro! Virg. ECL. VIII.

Scuta virum memorant: *Aurum cœleſtia amantem,*
Conſtantem *Rubeus* comprobat eſſe *color*:
Pacificum & *Caſtum* Duplex *argenteus orbis*;
Et FORTEM & SUAVEM *junctus* utrimque *Leo*

APPLAUSUS
CONVIVALIS

PARS I.

DUm ereptum ſibi luget PHILIPPUM Antiſtitem cum *Paſtoribus Scaldis*, adeſt *Moſa* cum ſuis, qui DAPHNIDA ſuum, viduo ut Ovili præſideat, adventare nuntians ſuum ex PRÆSULIS diſceſſu conceptum, quem *Scaldis* ſolari nititur, dolorem indicat.

PARS II.

S*Caldis* hoc nuncio multùm recreatus, de apparatu, quo ILLUSTRISSIMUM dignè recipiat, cum *Paſtoribus* deliberat, omneſque ad communem lætitiæ ſignificationem adhortatur.

PARS III.

S*Caldis* DAPHNIDI ad urbem appropinquanti cum ſuis alacris applaudit, ejuſdemque laudibus ritè celebratis, feſtivos inter cantus debitum ſinceri amoris munus perſolvit.

PER-

PERSONÆ

SCALDIS — *Mathias Henssens* conv.

MOSA — *Joan. Bapt. Cornelissen.*

PASTORES,

MOERIS — *Franc. Xav. le Kuys.*

PALÆMON — *Arnoldus vanden Cruyce.*

TITYRUS — *Adrianus Hoffmans* conv.

AMYNTAS, — *Benedictus Beeckmans.*

DAMÆTAS — *Constantinus Nanteuil*

ALPHESIBOEUS — *Joan. Bapt. de Bie.*

AD MAJOREM DEI GLORIAM



8.

~~76~~

APPLAUSUS PANEGYRICUS

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO

DOMINO

D.NO JOSEPHO ANSELMO FRANCISCO WERBROUCK,

EX CATHEDRA RUREMUNDENSI

Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ

DECIMO-QUARTO ANTVERPIENSIUM

EPISCOPO

Feſtâ, & Solenni univerſi Cleri, ac Populi acclamatione Antverpiam Ingredienti Anno 1746. 12. Maii.

CHRONICON.

INTRAT JOSEPH ANTVERPIENSIS
ANTISTES, MOSES POPULI DUX,
AC LUX.

Chronicon.

JOSEPH GAUDIUM, PACIFICUS INGRESSUS TUUS GENTIBUS GRATUS.

PRÆSUL adeſt *Anverſa* tuus; *Ruremunda* querelas
Fundit, & hic plauſus tollis ad aſtra novos.
Macte animis: lætos mecum quæſo indue vultus
Advenit JOSEPH, qui tibi tutor erit.
Ordiar? ANSELMI vitam libet ordine pandam?
Sit meus ad *pindum* Ductor *Apollo* ſacrum.
Non negat *Ipra* Virum primis florentibus annis,
Omnibus exemplum qui dedit ille bonum.
Ulterius pergo: teſtatur & ecce *Duacum*;
Dùm ſatis ingenii dat monumenta ſui.
Hic ſatagit dùm toto animo penetrare ſophiæ
Abdita, dùm ſtudiis nocte, dieque vacat.
Nondùm finis adeſt, laurum nàm juris adeptus,
Cantorem Cathedræ cernit & *Ipra* ſuum.
Ille juventutem docuit ſacrà Dogmata CHRISTI.
Paſtoris munus tempus in omne ſubis.
Pauperibus tua larga manus, qui paſcis egenos,
Ac illis nummos porrigis uſque tuos.
Non metuis PRÆSUL totas haurire crumenas;
Nàm Deus eſt merces ſic tua magna nimis.
Jam tuà per totùm virtus penetraverat orbem,
Et vaga per Cœlos ſponte petebat iter.
Sic meritò miſit tibi *Cæſaris* Aula Tiaram;
Idcircò JOSEPH te *Ruremunda* vocat.
Præſulis officium ſummâ cum laude peregit;
Dùm ſibi commiſſi candida forma gregis.
Quæ ſua ſunt alii privataque commoda quærant,
PRÆSULIS eſt agnis obſequioſus amor.
Non ut ſe paſcat, proprios ſed paſcat ut agnos,
Quam ſibi plus agnis hic cupit eſſe benè.
Una placet virtus, pietas ſibi ſola probatur,
Delecta arbitrio ſunt ea dona tuo.
Quod Deus elegit, quodque elegêre beati
Deligis, & quovis tempore PRÆSUL amas
Sic charis Rutilas populis, lux corda ſerenas;
Jugiter ut poſſint illa placere Deo.

Novit

Novit enim mundus quantum pro gente labores,
Quamque bonus Sacrum Paſtor ovile regas.
Ad montem hunc ſi ſacra petens Eccleſia fidum;
Infractâ ſtabit tempus in omne fide:
Intereà ſi fortè gregi trux ingruat hoſtis,
(Quod Deus avertat) quam generoſus erit.
Commiſſas defendit oves, ſub Præsule tanto
Felices gentes, veſtra cupita ſalus.
Ille Vir eſt *Anverſa* potens memorandus *Aaron*;
Indè tibi auxilium, ſubſidiumque venit.
O benè felices Cives! modò plaudite Joseph.
Advenit vobis Frater, & ille Pater.
Sex fortes tua Scuta ferant Josephe *Leones*.
Eſt *Leo* virtutis teſſera viva tuæ.
In te, Anselme, nitet virtus, & promicat ardor,
Atque *leonino* digna parente facis.
Teque humilem, mitemque Virum virtute *Leonem*
Cernimus, & decus eſt, illius eſſe genus.
Plura docet Josephe *Leo*, ſunt mella *Leoni*;
In lacero *Samſon* invenit ore feri.
Eloquii præſtans, & Majeſtatis honore;
Lingua tua, ô Præsul! munera mellis habet.
Cui comes it comis gravitas, cui gratia verbi
Rara, Dei verbum dùm feris, ore ſedet.
Vox tibi melle ſcatet, tibi mens eſt melle repleta:
Lingua favens ovibus, lingua ſuavis, amor.
Mellea ſit cordi candor virtute micanti;
Si comes illa tibi, ſic favet uſque gregi.
O quanta in vultu gravitas! & vivida virtus!
Purpureæ lucet quam benè juncta togæ.
Si ſacro ſtygius lupus inſidietur ovili,
Nil agni vigili, hoc, quod vereantur, habent.
A grege tartareos potis es cohibere *Leones*
Horrentes contrà qui ſolet ire jubas.
Commiſſas ſic Præsul oves ſervabit, & agnos;
Et tutus toto cum grege Paſtor erit.
Non ut ſe paſcat, proprias ſed paſcat ut agnos;
Quam ſibi, plus agnis hic cupit eſſe benè.
Quin balabundas animas prædatur, ut orco
Eripiat, Christi ſubjiciatque jugo.

Hâc prædâ gaudet, captamque adſcribit olympo,
Sic gregis, & Domini conſulit ille bono.
Eſt *Leo* magnanimus, validis *Leo* viribus audax,
In prædam, & latebras illius ardor agit.
Sunt animæ prædæ, Divinæ ſymbola mentis;
An quidquam his prædis ditius orbis habet?
Ut capias animas, generoſo corde per omne
Curris, quo latitas plurima præda nemus.
Numinis auſpiciis terres acherontica monſtra,
Doctus es è latebris bruta ciêre ſuis.
Teſtis erit *Ruremunda* mihi, dùm è faucibus orci
Eripuit prædam, præſidioque fuit.
Nonne vides quantos referat virtutis honores?
Doctrinæ quantus ſurgat ab ore decor?
Te ſophiæ munit ratio, prudentia juris
Dirigit, exornat lingua, Camæna beat.
Dùm veſtrum officium cum mundo ſi quid agendum
Exigit, id modico tempore parcus agit.
His meritis clarus non es tumefactus honore,
Inficit haud mores gloria vana tuos.
Inclyta nàm virtus animum perfectius ornat,
Mens ſatis in pulchro corpore, pulchra nitet.
O benè! felices *Anverſi* plaudite, vobis
Propitio *Moyſen* deſtinat axe Deus.
Ductor erat, certaſque vias ad ſydera ſtravit,
Et ſibi commiſſum pavit amore gregem.
Idcircò *Iſacidum* meruit geſtare Tiaram
Paſtor, & hoc virtus digna favore fuit.
Nè Cives *Anverſa* tui per devia currant,
Josephus Werbrouck Præsul hic aptus erit.
Ejus virtutum benè ſi veſtigia carpat,
Non poterit populus devius ire viâ.
Sic tibi commiſſam Josephe tueberis urbem,
Aris, proque focis Paſtor amore facis.
Undique nunc populus tanto ſub Præsule gaudet;
Talem, grex totus gaudet habere Patrem.
A Domino id factum, tantas pro munere grates
Solvere quis poterit, dic mea muſa mihi.
Quod tibi multiplici reddet pro munere munus,
Nil tuus hic vates, quod dare poſſit, habet.

Singula

Singula quid memorem? cum dixero millia centum,
Millia plus centum ſunt reticenda mihi.
Ingreditur, tantis glormerantur compita turmis;
Et populi toto fluctuat unda foro.
Anverſi applaudunt, nova lux ſpectatur in urbe:
Advenit JOSEPH undique clamor adeſt.
Tu Columen FRANCISCE meum, nova gloria gentis;
Sic Urbi toti gaudia magna paris.
Lætitiâ exulto, dùm cerno pacis amantem;
Ferte triumphales ad mea metra tubas.
Sit Deus hoc gratum Superis; augmentaque donet,
Munificus tribuit qui bona cuncta Deus.
Purpura Sanctorum tunc gloria veſtiet artus,
Et corpus rutili ſolis adinſtar erit.
Major eris, facto capies dùm digna labore
Præmia, quæ Sanctis dat Deus ecce ſuis.
Sic voveo, cupioque tui pia vota clientis
Reſpice, quæ parvo carmine muſa facit.
Hoc tibi concordes *Capucini* ex corde precantur:
Sæpius ex parvo munere magnus amor.

APPLAUSUS

EMBLEMATICUS.

EMBLEMA I.

Exhibetur Paſtor ovium cum grege.

Paſtor eſt ovium. Joan. cap. 10. verſ. 2.
Lemma. *Invigilat Paſtor.*

SOllicitus dùm *Paſtor* oves in paſcua ducit.
Adverſus *vigilat* tempus in omne lupos:
Nàm *bonus* ut *Paſtor* vigiles perducere noctes,
(Nè lupus invadat) ſic venerande ſoles.
Qui *bonus* eſt *Paſtor*, pius eſt, felixque vocandus,
Proſperitas multum cum pietate valet.
Nàm bonus Antiſtes commiſſum ſervat ovile;
Principium veſtrum finis, & ille ſcopus.
Paſcua ſi deſint, morbo ſi fortè laboret.
Grex, *Paſtore* pio qui moderatur, eget.
Declinare lupi rabiem, vultumque leonis,
Et pia *Paſtoris* ſollicitudo docet.

Tu pius, & felix, qui curam ducis ovilis:
  Hâc duplici in terris conditione Regis.
Invigilas Paſtor, *Paſtor bonus* eſſe probaris,
  Invigilas ſacro nocte, dieque gregi.
Nè prædam capiat, magnâ pius uſque repellis
  A grege tartareum ſedulitate lupum.
Nè pereat, revocas, quædam ſi forſitan errat,
  Atque tuis humeris languida fertur ovis.
Quæ paſcant animos Cœleſtia dogmata præbes,
  Grex benè ſic ſanus cernitur eſſe tuus.
Ut modò ſic ſemper *Paſtor bonus* eſſe labora
  Non niſi perfecto laurea fine datur.
Fac ergò ut fias majori munere *Paſtor*;
  Fac *Paſtor* valeas jugiter eſſe *bonus*.

Chronicon.

VIVat Deo In æternUM Joseph WerbroUCk epIsCopUs AntVerpIensIs.

E M B L E M A I I.

Exponitur gallina pullos congregans ſub alas.

Volui congregare filios quemadmodùm gallina congregat pullos ſuos ſub alas. Matth. cap. 23. verſ. 36.

Lemma. *Pullos ſervat gallina ſub alas.*

EN *gallina* tegens *alarum* tegmine *Pullos*.
  Dilectos fœtus quæ ſtudioſa fovet.
Pullorum gallina (patet) fidiſſima: Cuſtos
  Invitat pennis, ſub pia membra vocat.
Explicuit plumas, nutritque, fovetque, tegitque,
  Gallinæ vigili non datur ulla quies.
Invitat *gallina* omnes pleniſſima curis,
  Omnes æquali mater amore foves.
Non ſibi met parcit nutrit *gallina* ſub alas,
  Semper amat pullos, invigilatque gregi.
Criſtati *gallina* typus modò fæmina galli
  Præsulis, invigilat nutrit & ille fovet.
Maternas dilecta veni nunc turba *ſub alas;*
  Turba ſub his tutò tota latere potes.
Miraque res amor eſt gratis ſua munera ſundit
  Cum puero ludet, cum ſene triſtis erit.
Fortiter urit amor, patris præcordia lædit.
  Unus amor Domini, deliciumque ſui.

Præsu-

Præsulis in curas animus deducitur omnes,
Omnibus auxilio promptus adesse suo.
Passus es & varios pro Relligione labores:
Despice sudores; omnia vincit amor.
Magno quam mater nati retinetur amore;
Sic tibi subjectos Præsul amore tegis.
Es vigil Antistes, nos te veneramur honore;
Nàm bonus ut Pastor, qui benè ducit oves.
Si sacro stygius lupus insidietur ovili;
Mente colit Superos, invigilatque gregi.
Quæsumus ut nostris sint astra faventia votis,
Sit gratus Superis Præsulis ille labor.
O Præsul venerande! placet tua cura tonanti:
Pro vestrâ curâ sit tibi vera quies.

Chronicon.

UT gaLLIna CUstoDIt pULLos, sIC qUoqUe JosephUs epIsCopUs oVes ConCreDItas.

EMBLEMA III.

Depingitur Favus.

Mel, & lac sub lingua tuâ. *Cant. cap.* 4. *vers.* 11.

Lemma. *Sub linguâ munera mellis.*

ANSELMUS. *Anagramma.* MEL; SANUS.

Sub *linguâ* sacra *Mella* latent, sacra *munera mellis*
Præsulis en dulcis nomen, & omen habes.
Eloquio præstas: ô quanta potentia fandi!
Mellifluumque virum nos anagramma docet.
Melleus Antistes, vincis dulcedine linguæ.
Id nulli mirum; tu *Mel* in ore geris.
Tu *Mel* in ore geris, Christi succensus amore,
Joseph *Mellifluus* dulcor in ore sedes.
Saxea corda moves, mollisque hic voce *Leones*
Nil Præsul miti nomine majus habet.
Est *Mel* mirificum Cœli quod gratia fundit;
Illud Cecropiæ non apis extat opus.
Fortiter Antistes vestrum dum lemma subintrat
Insistens Joseph; *Suaviter* ecce tamen.
Est tua *Mel*, Præsul, cunctis dulcissima virtus,
Et tibi facundo *Mellea* verba fluunt.
Est tua mens etiam raro jucunda sapore
Mellea, quæ vestros exhilarare potest.

Melleus

Melleus & totus, totus *Mel* cerneris esse,
  Inte sic PRÆSUL dulcia cuncta vigent.
Doctrinâ, meritisque sacris, & corpore *Sanus*;
  Sic meritis *Sanus*, sic quoque *Mella* dabis.

Chronicon.

ADVenIs nobIs Joseph antIstes popULI LUX MeL sUb LIngUa tUa.

E M B L E M A IV.

Exhibetur Dux, qui præcedit, & ducit populum.

Posui te Ducem super populum meum. 3. *Reg. cap.* 16. *vers.* 2.

Lemma. *Dux tibi fidus adest.*

D*Ux* populi *tibi fidus adest;* ad Regna polorum,
  Dux bonus indubiè sic benè pandit iter.
A *Duce* præsidium: cœcum ecce canicula *ducit*,
  Et canis auxilio, quò benè tendat, habet.
Nè ruat in foveam, præcepsque per avia tendat,
  Cœcus agit tutus dùm præit ille canis.
Quam multi in scelerum tendunt cœco impete fossam;
  Dùm *Ducis* auxilium, qui benè *ducat*, abest.
ANSELMUS JOSEPHUS adest *Dux fidus*, euntes
  Ducet, ab exitio surripietque suo.
Deviat hic nunquam, quam Relligionis avitæ est
  Cultor, nec falsi labe notatus adest.
Hic non seducet, *ducet;* sed prævius ibit
  Exemplo, quo nil firmius esse potest.
Imperio utque præest, gnarus virtute præire,
  Formaque JOSEPHUS, vivaque norma gregis.
Illius *Ductu* recto grex tramite tendet:
  Illo non poterit devius ire *Duce*.
Haud equidem invideo, grator magè dummodò salvus
  Prudenti tali grex queat esse *Duce*.
Prævius hic *Dux* fit nemo jàm devius ibit;
  Dùm tàm præstanti stat *Duce* certa salus.
Quam benè Mitra illi jam parta per ardua fulget,
  Mitratusque comas verticis ornat apex.
Virtute effulget, dignus Mitrâque, pedoque,
  Virtuti semper gloria vera comes.
JOSEPHUM jam specto *Ducem*, non lumina fallunt,
  Optatum tandem cernit adesse patrem.

Ecce Ducem ſpectat, cupidiſque amplexa lacertis;
  Gaudet ad illuſtres oſcula ferre manus.
Nobilitas cum plebe etiàm quoque plaudit, avetque;
  Conſcia lætitiæ reddere ſigna ſuæ.
Dùmque venis; venit illa etiàm tibi pectore plaudens;
  Et geſtit titulis plaudere læta tuis.
Ut te PRÆLATO exultat, ſibi ducit honori,
  Dignus quem tanti muneris ornet apex.
Plaude ô plaude tuo PRÆSUL VENERANDE decori,
  Dùm *Ducis* & capitis ſceptra verenda capis.
Ductor adi regimen, digniſſimus ipſe ducatu es,
  Et valido ſacram dirige Marte ratem.
Dux pugilum, gymnaſta Ducum, duc pignora Marti
  Sacra, tuo ductu, bellaque ſacra doce.
Duc Clerum venerande tuum, Rege ductor alumnos,
  Utque facis factis, quêis præes uſque præi.
Uſque præire Ducum eſt, pugiles animentur ut armis
  Inveniat tutas te *Duce* quiſque vias.
Hoc tibi quadrat onus, nec te labor iſte gravabit,
  Firma atlanthææ robora mentis habes.
Illud onus cum laude feres ſic auguror, indè
  Fulgebis, pariet curaque tanta, decus.
Ex animo optamus longos tibi Neſtoris annos,
  Qui nos Neſtoreâ tàm benè mente Reges.
Vivat, honoretur PRÆSUL, laudetur, ametur:
  Dùm cernit vultus Urbs tua læta tuos.

Chronica.

UT PHŒBUS VARIIS VIRTUTUM RADIIS SUCCENSUS, JOSEPH AC ANTISTES GENEROSUS OMNIBUS OVIBUS EI SUBJECTIS DUX.

E M B L E M A V.

Repreſentatur Paſtor cum grege.

Cuſtodiet ſicut Paſtor gregem ſuum. Jerem. cap. 31. verſ. 10.

Lemma. *Cuſtodit Paſtor Ovile.*

INſomnis quam gaudet oves in gramine læto
  Lanigeras *Paſtor* paſcere, ſervat eas.
Nè noceat quandòque rapax ſic turba luporum,
  Nec deſunt Comites ſedula turba, canes.
Colligit errantes, *Cuſtodit Paſtor Ovile.*
  In promptu Ratio eſt; diligit uſque ſuas.

Sanaque

Sanaque commiſſis ovibus dat pabula *Paſtor*:
Sic paſcit magnâ ſedulitate gregem.
Subjecti ſunt PRÆSUL oves, tu *Paſtor* es ille
Doctrinæ ſanæ das alimenta tuæ.
Ut vigilans *Paſtor* totum *Cuſtodis ovile*;
Noxia nè ſerpant toxica, *Paſtor* ades.
Ut Cuſtos ovium cunctos ſic tollis abuſus.
Pro veſtris animam ponis ubique tuam.
Officium *Paſtoris* agis DIGNISSIME PRÆSUL.
Ut ſalvas facias, quas Deus ecce dedit.

Chronicon.

JOSEPH oVIUM CUſtos oVIbUs sUIs saLUtarIa panDIt pabULa.

E M B L E M A VI.

Demonſtratur navis tumidis undarum fluctibus expoſita.

Aſcendit ad illum in navim. Marci cap. 6. verſ. 51.

Lemma. *Aſcendit ad illos in navim.*

QUid video ANTISTES JOSEPH? mare fluctibus horrens,
Quò tamèn adverſis fluctibus ire paras?
En indignatum, magnis ſtridoribus æquor;
Vaſta proccelloſi quam furit ira freti.
Invida tempeſtas fati ſubdûcere tentat
Lumen & æternâ tollere nocte diem.
Cymba licet tumidis hæc fluctuet icta procellis:
Navigii Rector mente fidelis ades.
Vita, mare eſt tua cymba patet DIGNISSIME PRÆSUL;
Et tibi ſubjecti nocte, dieque juvant.
Et licet inſurgant fluctus; *Aſcendit ad illos*
In *navim*, ut rectè dirigat uſque *ratem*.
Subjectoſque docet mundi vitare charybdim;
Ut quiſquis caveat cuncta pericla ſibi.
Turbatum crebris agitatur fluctibus æquor;
Et fremit alternis ventus, & unda minis.
Nauta per æquoreas moderatur vela per undas:
Nunc huc, nunc illuc quandò agitata *rates*.
Non varias metuit ſcyllas, mundique charybdes;
Nec timet inferni flamina ſæva noti.
Sic cupis optatum veſtris oſtendere portum,
Navita ſollicitus ſic eris uſque tuis.
Hæc mea muſa canit, laudes ceciniſſe triumphas;
Optamus vobis Regna ſuperna ſimul.

Chronicon.

VENIT JOSEPH PRÆSUL DEXTERITATE GREGIS, ET NAVIS REGIT GUBERNACULUM.

E M B L E M A. V I I.

Exponitur annulus.

Date annulum in manum ejus. Luc. cap. 15. verſ. 22.

Lemma. *Annulus ecce typus fidei.*

Annulus ecce typus FIDEI; nam ſponſa fidelis
En *Anverſa* tua eſt, hæc modò juncta tibi.
Ille tenax *Fidei*; vincto ſociata jugali
PRÆSUL veſtra *Fides* intemerata manet.
Aſt ubi certa *Fides*; probitas, pietaſque coruſcant,
Et ſtat legitimo fædere junctus amor.
Fœdus amicitiæ manet inviolabile pignus
Pacis, & indè domus ſponſa fidelis erit.
Grex tuus eſt uxor, JOSEPH DIGNISSIME PRÆSUL,
Viribus ex totis dilige PRÆSUL eam.
Cordibus ex multis conjunctis efficis unum:
Sic unum, ut maneat corpus, es una domus.

Chronicon.

JOSEPHE ANSELME ANTISTES ANTVERPIENSIS ANNULUS OVIBUS LABORIS, ET FIDELITATIS TUÆ TYPUS.

E M B L E M A V I I I.

Exhibetur Paſtorale pedum.

Data eſt à domino poteſtas vobis. Sap. cap. 6. verſ. 4.


Lemma. *Hæc veſtra poteſtas.*

A ſummo JOSEPHE Deo tua tota *Poteſtas*:
Quippè *Poteſtatis* vis ſatis ampla tibi.
Pondus, & Imperium PRÆSUL non irrita ſanè:
Paſtorale Pedum ſignat, & illa docet.
Jure *Poteſtatis* ſubmittunt Colla ſupremo
Subjecti, leges tempus in omne tenent.
Jure *Poteſtatis* PRÆSUL tua juſſa ſequuntur;
Jure *Poteſtatis* tradita cuncta tibi.
Reſpice PRÆSUL, ades; quanta hæc modò veſtra poteſtas.
Paſtorale Pedum ducit amore ſuos.
Jure *poteſtatis populi* moderaris habenas;
Jure poteſtatis ſubdita corda tibi.

Chronicon.

PRÆSUL, PASTORALE PEDUM PIETATIS, ET AUCTORITATIS VIVA NUTRIX.

Chroni-



Chronicon.

VIVAT JOSEPHUS DECIMUS - QUARTUS ANTVERPIENSIS EPISCOPUS.

ODE RYTHMICA.

I.

ANimosè jam lætare
Celebris *Antverpia*:
Decet PRÆSULEM amare,
Cordis abundantiâ.
Fac honores, fac decores
Novum hunc ANTISTITEM,
Nam salutem per virtutem
Docet admirabilem.

I I.

Rexit ille *Ruremundam*
Justo moderamine;
Mentem novit hanc facundam
Recto rerum ordine:
Animas solatur flentes
Magnis in angustiis
Adjuvat & has gementes
Pressos in miseriis.

I I I.

Velut *Ivo* monstrat rectam
Viam in Justitiâ:
Vitam docet & perfectam;
Absit hinc mæstitia.
Pascit oves Pastor bonus
Summâ vigilantiâ:
Animarum portat onus
Animi constantiâ.

I V.

Tandem Pastor nobis venit
Gregem scit dirigere;
JOSEPH mœsta corda lenit,
Gregem vult diligere,
Si sit opus, erit scopus
Pro grege confligere.
Pacis chordâ nectet corda,
Sic vult benè regere.

V.

Gratus venis, PRÆSUL lenis
Fortiter, & suaviter:
Non hic tonat, benè sonat,
Certè non hic acriter.
Tuum stemma, tuum lemma,
Docet nos dulcedinem,
JOSEPH findis, & Præscindis
Hic amaritudinem.

V I.

Vivat vivat noster MYSTES,
In æterna sæcula;
Vivat MYSTES & ANTISTES.
Mundi velut facula,
Venit ille Benedictus
Domini in nomine
Maneat sic hic invictus
Fausto Cœli omine.

Chronicon.

VIVAT EPISCOPUS ANTVERPIENSIS FIDUS OVIUM CUSTOS.

Ità ex Intimis cordis medullis accinebant ILLUSTRISSIMÆ, ac REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS vestræ humillimi, obsequiosissimique famuli tui Conventus Antverpiensis F. F. Capucini.